



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 3. Blasphemus punitur; arguitur à Deo, & hominibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

libet hæreditatem, quam amittere eligo, quam meum, licet mortuum, patrem vulnerare. Et huic adjudicata. Id. l. 4. t. 2.

Soler homo, ex qua patria sit, per loquelam agnosci. Tres autem regiones possidet Deus, scilicet cœlestem, mundialem, & infernalem; qualibet autem eorum habet linguagium suum, unde cognosci possit. Regio cœlestialis habet pro linguagio suo, semper Deum benedicere, & laudare: *beati qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt te.* Pl. 83. 5. Vis autem scire, quis sit jam in terris cœlestis civis? considera hominem in angustiis positum, paupertate, penuriâ, infirmitatibus, & aliis adversitatibus conqussatum, & in omnibus semper laudantem, & benedicentem DEUM; hic cœlicus civis est, sermo indicat. Mundialis autem regio etiam suos cives habet, ex sermonibus cognoscendos: superbi enim loquuntur de honoribus; luxuriosi de vanitatibus & lasciviis; avari de lucris, & thesauris. Qui de terra est, de terra loquitur. Infernalis autem patria etiam nunc in Mundo multos concives habet: sermo infernalis nihil aliud est, quam blasphemiam, & maledictiones Dei, Virginis, ac Sanctorum. Blasphemi igitur, quia jam scripti sunt in libro aeternæ perditionis, ideo jam aſſuecunt loquelæ officio, quod facturi sunt in inferno. Cognoscuntur Galli ex loquela sua, Alemanni ex sermone suo, & Itali ex idioma te suo; sic & reprobi homines ex blasphemiiis suis. O homines infernales! ô tartarei cives! ô confocii inferorum! cuiuslibet vestrum dici potest, quod Matth. 26. 73, dictum est Petro: *vere & tu ex illis es; nam & loquela tua manifestum te facit.* Idem a. 3.

Machometes infidelissimus canis in suo Alchorano præcepit, quod, quicumque DEUM, & CHRISTUM, etiam B. Virginem, blasphemaret, medius divideretur. Idem ibidem.

§. III.

Blasphemus punitur, arguitur à DEO, & hominibus.

ET lapis eum populus universus. Lev. 24. 14. Non ab uno, sed à tot iudicibus,

quot civibus, damnari, & castigari, jubetur tantum peccatum. Sed cur? ut totus populus imberet horrorem, & averſionem, à blasphemia. Salvian. l. 4. de gubern. Dei. Ne quis postea admitteret, quod omnis in uno populus vindicasset. Bæza t. 2. l. 10. c. 8. §. 5.

Postquam de blasphemia nobis verba nunc facta sunt, unam vos omnes peteré volo retributionem, pro concione hac, atque sermone: ut in civitate blasphemantes mihi castigetis; & si quempiam in vivo, & foro, Deum blasphemantem audieris; accede, increpa, & si verbera infligere oporteat, nè recuses: ipsius faciem alapâ percutere, contere os ipsius, percussione manuum tuam sanctifica. S. Chrysoſt. hom. 1. ad pop. Antioch.

§. IV.

Motiva abſtinendi.

NOTat Genebrardus ad initium explanationis c. 1. Cant. quod in toto Canticorum libro Nomen Dei non ponitur: quia dilecta anima tantam puritatem, & reverentiam, agnoscebat in sanctissimo Dei nomine; ut nec ore illud pronuntiare auderet. Sylv. in Luc. 1. q. 11.

Similis ero altissimo. Jf. 14. 14. Cur non ait: similis ero Deo? Cavit perfidus labiis peccantibus Deum nominare. S. Chryſt. in Pl. 13. Sustulit Deum, & posuit altissimo, erubescens eum, quem jam negaverat. Non audet dæmon inter offendendum divini Nominis meminisse; & homo non vereatur foetidâ linguâ, pollutis labiis, diviniſſimum nomen passim eloqui? utinam vel à diabolo discerent homines nomen divinum vereri; & absque magno timore, & reverentia, ac circumſpectione, nec illud extremis tangerent labiis. Bæza t. 3. l. 14. c. 6. §. 7.

Nunquam audent dæmones JESUM nominare, sine honoratis titulis; aut JESUM Nazarenum, aut filium David, aut sanctum Dei, vocantes: ut vel hinc erubescant Fideles, qui Deum, & Christum, sæpe nominant, sine honorifici vocabuli memoria. Idem t. 2. lib. 7. cap. 1. §. 6.

Linguam blasphemiam nè pollutis; quin laudis organum efficit, quæ in hunc usum facta est. B. Theodoret. f. 10. de Provid. Dei.

TITULUS VIII.

BONI.

§. I.

Pauci dantur.

Ex Veteri.

Sed & Seth natus est filius, quem vocavit Enos. Iste cepit invocare nomen Domini. Gen. 4. 26. Nota hic cum Olea-

stro, quod Genesis ista antè v. 19. &c. multos memorat, qui fuerunt rerum diversarum inventores, quæ voluptati hominum magis, quam utilitati serviunt; quorum author Thubal, qui *fuit pater canentium citharâ, & organo;* ut Tubalcaim *fuit malleator, & faber in cuncta opera aris, & ferrâ.* Oleaster: quemadmodum filii Cain musica instrumenta, qui-

bus